



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

III. Quanta sit obligatio recitandi Horas Canonicas?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

sunt insigniti Ordine aliquo sacro, sive non. Nomine autem Ecclesiastici Beneficii, intelligitur jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale personæ Ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ constitutum; prout amplius suo loco (b) explicabitur. Et de hujusmodi Beneficiariis loquendo sic

(b) *Tract. 11. Dist. 1. quæst. 1.*

25. CONCL. VII. Clerici Beneficium Ecclesiasticum possidentes, etiamsi nullo sacro Ordine sint insigniti, obligantur ad Horas Canonicas recitandas. Ita certa, & communis: & patet tum ex *cap. Dolentes, supra num. 3. relato*; tum ex alijs Summorum Pontificum Constitutionibus: siquidem *Beneficium datur propter officium, cap. ult. de Rescript. in 6.*

Clerici Beneficarij obligantur ad Horas Canonicas.

26. Excipiuntur tamen quædam Beneficia, v. g. Præposituræ, Personatus, &c. quibus ex speciali sua institutione solum annexa est obligatio recitandi Officium parvum B. M. Virginis, aut quid aliud simile. Excipitur etiam is, qui Titulum quidem Beneficij obtinet, sed per eum non stat, quò minus defacto aliquos fructus percipere queat, sive per se, sive per alios, aut in alijs substitutis: talis quippe ex comuni Doctorum sententia non tenetur ad Horas Canonicas recitandas; nemo enim suis stipendijs militare cogitur; & qui Altari deserviunt, de Altari participant. *1. Cõsultib. 9. Herincx part. 3. tract. 2. disp. 7. n. 58. Navarrus cap. 7. de Orat. num. 28. Layman cit. cap. 5. num. 3. & seq. & alijs*

quibusdam tamen exceptis.

Q U Æ S T I O III.

Quanta sit obligatio recitandi Horas Canonicas?

27. CONCL. I. Omnes hætenus enumerati, atque ad dicendas Horas Canonicas obligati, peccant mortaliter, si eas vel in totum, vel quoad partem notabilem culpabiliter, seu absque rationabili causa excusante, dicere omittant. Ita certa, & communis. Ratio est: quia est præceptum grave, & quidem in materia gravi, spectante ad virtutem Religionis, non minus, ac præceptum audiendi Missam diebus Festivis; ergo etiam transgressio talis præcepti est peccatum ex genere suo mortale. Sed occasione hujus Conclusionis

Obligati ad Horas, & eas in totum, vel quoad partem notabilem culpabiliter omittentes, peccant mortaliter.

28. Quæritur I. Quænam sit censenda pars notabilis, cuius omissio constituat peccatum mortale? Resp. Quamvis non

quænam censetur

Te

pæ

pars notabi-
lis, sufficiens
ad peccatū
mortale ?

parum variant circa hoc Doctores, uti videre est apud Reginaldum *lib. 18. cap. 11. num. 143. & seq.* dum Navarrus tertiam partem unius Horæ sufficere, Rosella verò totius Officij unius diei omissionem requiri ad constituendum peccatum mortale, asserat: sed ambo improbabiler. Communior tamen Doctorum opinio (paucis dissentientibus, aut Vesperas Sabbati Sancti ob sui brevitatem excipientibus, apud Gobat *tract. 5. Theol. Experim. num. 608. & 609.*) videtur tenere, voluntariam omissionem cujuscunque Horæ Canonice sufficere ad peccatum mortale: idque etiam Doctores intelligunt de uno Nocturno Matutini, utpote æquivalente uni Horæ minori. Fundatur hæc sententia communis, recepta sententia, in *cap. 1. & c. Dolentes, de Celebrat. Missar.* (c) ubi omnes septem Horæ significantur, ac nominatim quotidie recitari præcipiuntur: unde deducitur, unam Horam omittam censerem partem notabilem.

(c) *Relato
superius n.
3. & 4.*

Quot pec-
cata morta-
lia commit-
tat omittens
Officium
totius diei ?

29. Quæritur II. Quot peccata mortalia committat omittens integrum Officium unius diei? Lessius *lib. 2. de just. & jure, cap. 37. n. 53.* putat, tot numero peccata committi, quot sunt Horæ; eò quòd singulæ sint distincta Officia, distinctis temporibus ex præcepto Ecclesiæ persolvenda. Sed melius Herincx *disp. 2. de Hor. Can. q. 1. n. 8.* Gobat *loc. cit. n. 617.* Bonacina *disp. 1. q. 5. punct. 1. n. 6.* Navarrus, & alij respondent, esse unicum peccatum, gravius tamen. Ratio est: quia omittitur unicum tantum integrum Officium unius diei, cujus singulæ Horæ sunt pars; ergo etiam fit unicum duntaxat peccatum externum consummatum omissionis.

An peccet
duplici pec-
cato omit-
tens Officij,
ad quod te-
netur ratio-
ne Ordinis
sacri, simul
& Beneficij?

30. Quæritur III. An peccet duplici peccato, qui omittit Officium Divinum, ad quod recitandum tenetur ratione Ordinis sacri, simul & beneficij? Affirmant Bonacina *loc. cit. num. 4.* Lessius *num. 52.* Sanchez, Suarez, & alij, & sequitur Sannig *cit. dist. 2. quest. 1. n. 16.* Rationem afferunt: quia talis Clericus Beneficiarius in Sacris constitutus peccat & contra virtutem Religionis, cujus intuitu obligatur ratione Ordinis sacri, & contra iustitiam ratione Beneficij. Sed Herincx *loc. cit. num. 9.* cum Diana *part. 1. tract. 12. de Horis Canon. resol. 5.* & alijs, probabilis negat, committi duo peccata, etsi duobus vel pluribus titulis quispiam ad Horas Canonicas recitandas obligetur. Ratio est: quia Clericus Beneficiarius omittens Horas non peccat contra iustitiam, sed tantum contra Religionem, ac præceptum Ecclesiæ, quæ istam obligationem Beneficiarijs imposuit; prout nec tenen-

tenentur Jure naturæ ad restitutionem fructuum, sed tantum ex præcepto Ecclesiæ post primos sex menses, ut mox amplius dicitur. Et per hoc solvitur fundamentum oppositæ sententiæ.

31. CONCL. II. Præter reatum culpæ lethalis, si Beneficij Horas Canonicas culpabiliter, seu cessante legitimo impedimento intermitant, post sex menses à Beneficio obtento obligantur ad fructuum perceptorum restitutionem pro rata omissionis. Ita certa. & communis omnium; habeturque expressè statutum in Generali Concilio Lateranensi, sub Leone X. Sess. 9. pro rata omissionis, quam Constitutionem innovavit, magisque explicavit B. Pius V. Conclit. 135. quæ incipit, *Ex proximo* (ac refertur tom. 2. Bullarij Romani) ubi in primis Pontifex sic loquitur: *Ex proximo Lateranensi Concilio ea salubris sanctio emanavit, ut quicumque habens Beneficium Ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses, quam illud obtulerit, Divinum Officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis Officij, & temporis, suos non faciat, sed eos tanquam injustè perceptos, in fabricas ipsorum Beneficiorum, vel pauperum elemosinas erogare teneatur.* Hæc ibi.

32. Ex quibus verbis colligitur primò, hanc obligationem restituendi fructus Beneficij pro rata neglecti Officij, incipere duntaxat post primos sex menses à tempore adepti Beneficij computandos (nam exceptio illa, *si post sex menses*, firmat regulam in oppositum) quamvis ille, qui primis sex mensibus, cessante legitimo impedimento, Officium non dixerit, grave peccatum intelligatur admisisse, prout subdit Pontifex ibidem. Colligitur ulterius, hujusmodi obligationem restituendi fructus esse Juris duntaxat Ecclesiastici: tum quia ortum habet ex salubri sanctione Concilij Lateranensis: tum quia, si esset Juris naturalis, aut Divini, pariter pro primis sex mensibus dicta obligatio procederet. Ut autem intelligatur, cujusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda, idem Pontifex in citata sua Constitutione declarando statuit: *Ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficij, vel beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui verò Matutinum tantum dimidiam; qui ceteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui haurunt singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat.* Hæc Pontifex.

33. Cæterum quoad memoratam obligationem restituendi notandum est, quòd quamvis Azorius cit. cap. 14. quest. 5. ob tam generalem B. Pij V. loquendi modum & Constitutionem teneat, quòd Beneficiarius omnes sui Beneficij fructus, etiam illos,

Beneficij
omittentes
Horas te-
nentur ad
restitutionem
fructuum
pro rata omi-
sionis.

Idque post
sex menses
adepti Bene-
ficij, ac Jure
Ecclesiasti-
co.

Rata negle-
cti Officij,
quomodo
taxanda?

An tunc
etiam resti-
tuendi fru-
ctus percepti

ratione alia-
rum obliga-
tionum?

illos, quos propter alias obligationes, utputa Conciones, Sacra-
mentorum administrationem, Missæ celebrationem &c. si simul
est Parochus, sibi comparaverat, pro rata neglecti Divini Officij
restituere teneatur: oppositum tamen, nempe curâ conscientia
posse eam fructuum partem retineri, quam ejus labor, quo alio-
quin inservivit Ecclesiæ, promeruit, cum multis alijs Authoribus
à se allegatis, probabile, & in praxi tutum censet Layman *lib. 4.
tract. 2. cap. 5. num. 1. & 2. & sã. Beneficium. n. 58.* quorum poste-
rior proinde subjungit, quod sufficiat Parocho restituere quin-
tam partem, Canonico quartam, alijs Beneficiarijs tertiam. Sed
melius Layman attendendum censet ad aliorum quantitatem of-
ficiorum, quæ quandoque plura, quandoque pauciora sunt; ac
proinde hoc erit prudentis, & timorati Viri arbitrio dijudican-
dum.

Vitanda
circa hoc
quædam
propositio-
nes damna-
re.

34. Circa hoc tamen notanda, & vitanda erit gemina Pro-
positio, novissimè ab Alexandro VII. condemnata, quarum prior,
ordine 20. sic sonat: *Restitutio à Pio V. imposta Beneficiatis non recitan-
tibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eò
quod sit pena.* Altera, ordine 33. sic habet: *Restitutio fructuum ob
omissionem Horarum suppleri potest per quasunque elemosynas, quas antea
Beneficiarius de fructibus sui Beneficij fecerit.* Ultraque, inquam, hæc
Propositio est damnata, ac proinde vitanda.

Officium
Defunctorum,
& Lita-
niarum majores
&c. an
extra Cho-
rum sub
præcepto
dicenda?

35. Quæres, an Officium Defunctorum in die Commemora-
tionis Omnium Fidelium Defunctorum, item Litaniarum majores
in Festo S. Marci, ac tribus diebus Rogationum, privatim sint à
præfatis Clericis, Religiosis, ac Beneficiarijs de præcepto reci-
tandæ? Ratio dubitandi est: quia B. Pius V. in Bulla, *Quod à nobis,*
Breviario præfixa, ab obligatione recitandi extra Chorum die-
bus in Rubricis præscriptis, eximit Officium B. Mariæ Virginis,
& Defunctorum, item septem Psalmos Pœnitentiales, & Gra-
duales. Et quidem Diana *part. 1. resol. 42. de Horis Canonicis,* loquen-
do de Litanijs, post paucos alios à se allegatos, probabile censet,
non teneri eos privatim recitare Litanias in diebus Rogationum,
qui non intersunt Processionibus.

Affirmativa
est tenenda.

36. Resp. tamen cum Herincx *disp. 2. q. 2. num. 14.* Gobat
tract. 5. Theolog. Experim. n. 614. Gavanto *p. 2. sect. 7. cap. 13.* allegan-
te Suarium, & sequitur Bonacina *tract. 23. cap. 7. num. 243.* Offi-
cium Defunctorum in die Commemorationis Animarum, ac
Litanias præfatis diebus, etiam privatim recitandas esse ex præ-
cepto. Ratio est: quia Officium Defunctorum censetur esse
pars

pars Officij Diei Animarum, cui idcirco in Calendario, & Martyrologio, tribuitur nomen Commemorationis Defunctorum: Litanæ autem ut præfatis diebus privatim dicantur ab ijs, qui non interfunt Processionibus, expressè præscribunt Rubricæ. Neque Litanias commemorat, & excipit B. Pius V. in præallegata Bulla, quæ tamen jam olim præceptæ fuerunt *c. Rogationes. de consec. dist. 3.* Accedit communis sensus Doctorum, & praxis Fidelium, optima legum interpretis.

37. Et per hoc patet ad rationem in oppositum. Siquidem B. Pius V. de Litanis nullam facit mentionem, ac proinde obligationem easdem privatim dicendi non tollit. Et dum obligationem recitandi privatim, seu extra Chorum, Officium Defunctorum in citata Bulla sustulit, loquitur de diebus Ferialibus, quæ illud Officium aliquoties per annum dicendum esse, voluit Rubricæ: non autem sub hac generali abrogatione, seu deobligatione, comprehenditur Dies Commemorationis Defunctorum, cum sit pars Officij illius Diei. Atque ex his inferunt Doctores, Beneficiarium talia cessante iusto impedimento non recitantem, teneri ad restitutionem fructuum pro rata partis omittæ.

Solvitur ratio dubitandi

Q U Æ S T I O I V.

Quanam intentio, & attentio requiratur ad recitationem Horarum Canonicarum?

38. **E**st hic recolendum ex dictis *Quaest. 1. num. 3.* quod in *e. Doctores de Celebrat. Missar.* præcipiatur, ut Divinum Officium *Studiosè & devotè* celebretur pariter & devotè. Ubi Glossa notat, *Studiosè* celebrare Officium Divinum? quantum ad officium oris, verba non syncopate pronuntiando. Et devotè quantum ad officium cordis; juxta illud Apostoli, *Ephes. 5. Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino: unde Glossa c. Cantantes, dist. 92.* hosce vulgatos versiculos refert:

*Non vox, sed votum; non musica chordula, sed cor;
Non clamans, sed amans, cantat in aure Dei.*

Igitur ad devotionem, seu officium cordis, requiritur cum intentio, tum attentio, de qua alij duo versiculi sic canunt:

*Dirige cor sursum: bene profer: respice sensum,
Inq; Chorone sis corpore, mente foris.*

T t 3

39. Ad-

